

# VRBANVS PAPA VIII.



D perpetuam rei memoriam. Olim felicis recordationis Sixtus V. prædecessor noster, vt tunc suorum, & Sedis Apostolicæ subditorum conseruationi prospiceret Ciuitates, Castra, Oppida, Iurisdictiones, Feuda, & bona quæcumque stabilia, seu immobilia, in dicto Statu Ecclesiastico consistentia, per quemcumque cuiusvis status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis existeret, etiam si Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quavis authoritate, ac dignitate, etiam Ecclesiastica, quæ specialem, & individuam mentionem requireret, prædictus esset, vendi, permutari, ultra triennium locari, in emphyteosim, feudum, liuellum, pignus, seu præcarium concedi sine sua, & Sedis Apostolicæ licentia in aliquam Communitatem, Vniuersitatem, Collegium, vel personam extraneam, seu forensem, etiam vt præmititur, quomodolibet qualificatam, quæ dictæ Sedi in temporalibus subdita, & supposita non esset, vel quæ in dicto Statu domicilium legitimè non contraxisset, prædictas verò Ciuitates, Castra, Oppida, Fortalitia, & alia quæcumque Iurisdictionalia, præsertim Feudalia, tam in forenses, quam in subditos quoscumque quomodolibet qualificatos vendi, permutari, ac donari, nisi præcedente præfata licentia Apostolica, prohibuit sub pena nullitatis contractum, aliorumq; gestorum: In præfata tamen prohibitione neque census, neque officia, neque portiones, seu montium loca, nec mulierum dotes, nec Almam Vrbem, vti communem Patriam; cum eius circuitu ad decem millia passuum voluit comprehendendi; filios tamen, & hæredes prædictarum mulierum, soluto matrimonio, si exteri forent, ad strictos esse infra triennium venire ad habitandum in eodem Statu, vel bona prædicta in alium, seu alios habitatores, ac subditos transferre statuit. Dein-

A 2 de



de recol. mem. Clemens Papa VIII. etiam prædecessor noster car-  
dem Sixti prohibitionem, ac statutum, sedum confirmauit, sed  
etiam ad Principes extraneos, Vniuersitates, Communitates, &  
Collegia, non tamen Ecclesiastica, respectu quorumcumque bo-  
norum stabilium, tam in confinibus eiusdem Statu Ecclesiastici,  
quam in quacinque alia ipsius Status parte, & in ipso Urbe con-  
fidentium, ac etiam censum, aliorumq. bonorum, & iurium;  
quæ pro stabilibus habentur, non tamen officiorum Romanæ Cu-  
riæ, nec portionum, seu locorum montium comprehendere de-  
claravit, ac etiam ad quæcumque genera contractuum, præter-  
quam, ut prefertur, ex causa dotis, & ad quacumque dispositio-  
nes inter viuos, & causa mortis, ac ultimas voluntates extendit.  
Et successuè pia mem. Paulus V. etiam prædecessor noster præ-  
dictæ Sixti, & Clementis Constitutiones declarauit, ac extendit  
statuens quoque licentiam Apostolicam prædictam esse in scriptis  
obtinendam, & in actu celebrationis instrumentorum exhiben-  
dam sub diversis pœnis, etiam quoad Notarios ipso iure incurre-  
dis. Addeinde Nos prioribus nostris litteris eadem Constitu-  
tiones confirmauimus, ac in eis botata, in confinibus territorij Ba-  
ronialis existentia, & Castra diruta, ac tenutas Iurisdictionales;  
Censu super eisdem bonis impositos comprehendi declarauimus.  
Et successuè per alias nostas litteras terminū illis, qui præmissis  
contrauenerant, ut cohæderent, & gesta quæcumque, ut præfer-  
tur, prohibita retractarent, præfiximus, & aliás, prout latius, &  
pleniùs in prædictis Sixti, Clementis, & Pauli prædecessorum no-  
strorum, ac nostris litteris continetur. Cum autem postmodum  
longior exp̄lentia compertum sit, etiam ex dotibus, seu ex con-  
traibus, ac dispositionibus causa dotinim posse Sedi Apostolice,  
suisq; subditis non modicum fieri præiudicium, & sàpè ex occultis  
assignationibus, etiam per scripturas priuatas fieri solitis, ipsas doc-  
tes, ac bona & iura dotalia, in venditiones, ab eisdem Constitu-  
tionibus prohibitas, etiam transire posse, si Ciuitates, Castra, &  
Oppida, Fontanaria, Arces, aliaeq. iurab & bona Iurisdictionalia, &  
ac bona stabilia, seu immobilia quæcumq;ite, presertim in confi-  
nibus eiusdem Status Ecclesiastici, etiam pro aliqua parte cōtigui,  
existentia, certo præcio aestimanda per quoscumque siue forentes,  
sive subditos, quomodolibet qualificatos, etiam Imperiali, Re-  
gali, Ducali, & quavis alia authoritate, ac dignitate, etiam Eccle-  
siastica.

siastica, & alias individuam mentionem requirente; præditos, in puellarum, seu mulierum, etiam subditarum dotibus, & acconcijs, siue causa, vel prætextu dotium, donationumq; propter nuptias, vel pro arrhs, ac alias quomodolibet in dotes, seu pro dotium solutione, vel assecuratione constituerentur, & assignarentur, vel alias, etiam absque estimatione, & qualibet alia palliatione darentur, seu traderentur quibuslibet forensibus, quomodolibet, ut præmittitur, qualificatis, etiam Principibus maioris potentia quibuscumque, eorumque patribus, matribus, auis, & auijs, tam paternis, quam maternis, ac fratribus, filiisque, & ne-  
potibus, etiam ex fratre, vel sorore nunc natis, & quandocumque nascituris. Ideo Nos volentes, prout ex debito nostro Pastorali tenemur, omnibus præiudicijs prædictis, & alijs quibuscumque obuiam ire, Motu proprio, certaque scientia, ac matura delibera-  
tione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra  
perpetua Constitutione easdem Sixti, Clementis, & Pauli, ac no-  
stras litteras, omniaque, & singula in eis, & earum qualibet ex-  
pressa, & prohibita, pœnasque tam nullitatis contractuum, ac  
dispositionum, quam alias quascumque ab eis, & singulis earum,  
etiam contra Notarios, & alios quoscumque inflictedas approba-  
mus, confirmamus, & innouamus; Necnon illas ampliando,  
ac declarando, easdem Constitutiones, ac omnia, & singula, in-  
eis, & earum qualibet contenta, ad quoscumque contractus, cau-  
sa, vel prætextu dotium quomodolibet in posterum ineundos,  
ac ad quascunque dotes cuiuscunque qualitates, quantitatis, ac  
valoris, & quantumlibet, priuilegiatas, & favorabiles etiam ra-  
tione educationis infantium, pupillorum, & personarum qua-  
rumcumque, & cuiuslibet alterius necessitatis, & alias quomo-  
libet per quoscumque siue subditos, siue forenses, utriusque sexus,  
cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præhemi-  
nentia, etiam Imperialis, Regalis, Ducalis, nunc, & pro tem-  
pore existentes, & quacumque authoritate, ac dignitate etiam  
Ecclesiastica, & individuam expressionem requirente, præditos,  
de quibuscumque bonis, & iuribus, siue iurisdictionibus, siue  
non iurisdictionibus, stabilibus tamen, seu immobilibus, alijs  
siue bonis, & iuribus, quæ pro stabilibus habentur, vñlibet in eo-  
dém Statu Ecclesiastico, presertim in confinibus eiusdem Status,  
pro aliqua eius parte contigui, sitis, tam coniunctim, quam dia-



utim absquè nostra, & Romani Pontificis, pro tempore existens, expressa licentia prædicta in posterum, etiam absque aliqua palliatione assignandas, & quomodolibet dandas cuicunque puellæ, seu mulieri, etiam viduæ, etiam subditæ, & quo quis modo, ut præmittitur, qualificatæ, in fauorem tamen cuiuslibet forensis, quantumlibet, ut præmittitur, qualificati, etiam Principes maioris potentiae, vel eius patris, matri, aui, auiæ, siue paterni, siue materni, aut fratri, vel filij, aut nepotis, etiam ex eius fratre, vel sorore nunc nati, & quandocumque nascituri, exrendimus, & ampliamus, perinde ac si dotes, & contractus ex causa dotium huiusmodi non fuissent in prædictis Constitutionibus exceptæ, nec excepti. Quinimò ultra poenam, in prædictis Constitutionibus inflictas, addimus poenam priuationis, & confiscationis ipsorum bonorum, & iurium quorumcumque eo ipso, absque alia declaratione incurrendum in fauorem Cameræ Apostolicæ, siue Ecclesiarum inferiorum, à quibus contrahentes, vel disponentes illa recognouerunt, vel recognoscunt. Quam quidem confirmationem, & extensionem, ita declaramus, ut quoad Iurisdictionalia respectu dotium, & contractuum, ac dispositiōnum præfatarum, de cætero ineundorum, assignandarum, & faciendarum siue licentia Apostolica prædicta, tam Princes maioris potentiae, & sui præfati, quam quicumque alij quomodolibet qualificati subiaceant eisdem poenis, etiam priuationis, & confiscationis, etiam si ipsi ita contrahentes, ac disponentes Nobis, & Sedi Apostolice ratione feudi essent subditi, ac etiamsi alia Castra, vel alia Iurisdictionalia quæcumque, aut stabilia, ac Palatia, vel domos apertas haberent in eodem Statu, vel etiam in Urbe, in quibus ipsi continuè cum eorum familijs, & laribus vere, & personaliter habitare non consueuerint. Quo verò ad non Iurisdictionalia, stabilia tamen, seu immobilia, ac census, & alia, quæ pro stabilibus habentur, non tamen Romanæ Curiæ officia, nec portiones, seu montium loca, ijdem Princes maioris potentiae, & sui prædicti eisdem poenis subiaceant, Reliqui vero forentes pariter eisdem poenas, etiam priuationis, & confiscationis præfatorum stabilium, & aliorum, quæ pro stabilibus habentur, vñlibet in præfato Statu Ecclesiastico, non tamen in Urbe, nec in eius circuitu prædicto, nec etiam in eius distictu cōfertentium, à Mari tamen ultra duo millaria distanciam, nec

Roma.

Romanæ Curiaæ officiorum , nec portionum , seu locorum mon-  
tium incurant , nisi vltimò dicti forenses infra annum , à die con-  
stitutæ dotis , vel à die initi contractus , vel factæ dispositionis inci-  
piendum , veniant cum eorum familijs , & laribus verè , & perso-  
naliter ad habitandum in Statu Ecclesiastico , inde non recessuri ,  
vel infra eundem annum eadem stabilia , & que pro stabilibus  
habentur , realiter , & cum effectu in alium , vel alios , Sedi Apo-  
stolicæ in temporalibus subditos , & in eodem Statu habitantes ,  
transferant ; Et idem pariter obseruari volumus quoad dotes , ha-  
cetenus promissas , assignatas , datas , seu traditas , vbi non fuerit  
hastenus celebratum , & consummatum matrimonium , nisi re-  
spectu Principum maioris potentiaz , & cuiuslibet suorum præfa-  
torum , sponsus per annum immediatè præcedentem , ante cele-  
bratum matrimonium venisset ad habitandum personaliter in Sta-  
tu Ecclesiastico , se , eiusque familiam , & lares transferendo , inde  
non recessurus . Quibus nullitatibus , & pœnis locum esse volu-  
mus non obstante , quod sponsa , vel vxor , aut quicumque pro-  
mittentes , dantes , vel relinquentes dotem , eorumquæ hæredes  
ineorum possessione continuauerint , ac non obstante quocum-  
que fideicomisso , primogenitura , maioricatu , alienandi pro-  
hibitione , & quolibet alio vinculo , inuestitura , nominatione ,  
vocatione , & quavis alia concessione , ac dispositione , etiam feu-  
dali , ac emphyteotica , à Sede Apostolica , & à quocumquè alio ,  
etiam in favorem , & pro conseruatione cuiuscumque familiæ  
quantumlibet nobilis , & alias quomodolibet priuilegiatae , factis ,  
ac semel , & pluries per Romanus Pontifices prædecessores no-  
stros , ac etiam per Nos approbatis , ac effectum sortitis , quibus  
omnibus , & singulis plenissimè derogamus quoad ipsos contra-  
hentes , vel disponentes aduersus præmissa , & eorum singula , ac  
eisdem contrâctibus , & dispositionibus consentientes , eorum  
tamen vita durante tantum . Insuperquæ omnia , & singula indul-  
ta , & licentias emendi acquirendi , ac non veniendi ad habitan-  
dum in Statu Ecclesiastico , & bona quæcumquæ in subditos non  
transferendi , & alias quomodolibet contra prædictas Constitu-  
tiones , etiam præsentibus per Nos extensas , ac declaratas , à  
Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris , ac etiam à Nobis ,  
etiam motu , scientia , deliberatione , ac potestate paribus , & ex  
quibuscumque causis quantumlibet favorabilibus , & onerosis ,

qui-



quibuscumque personis, etiam Principibus maioris potentiae, suisque praedictis, & eorum cuilibet, ac familijs quantumlibet, ut præmittitur; qualificatis, ac alias quomodolibet concessa, & concessas, etiam effectum sortita, & sortitas, non tamen in eo, in quo usque huc realiter exequuta sunt, reuocamus respectu Iurisdictionalium quorumcumque praedictorum, & illis annexorum dumtaxat, ac pro reuocatis haberi volumus, & esse reuocata declaramus, ita ut in posterum nemini suffragentur, nisi cum infra scripto onere veniendi ad habitandum in dicto Statu Ecclesiastico, exceptis tamen illis, qui desuper cum Sede Apostolica transactiones, & pactiones hinc inde obligatorias habent quoad eas tamen, quæ sunt specialiter expressa in ipsis transactionibus, & pactionibus respectiuè, quibus praividicare non intendimus, ac etiam exceptis quoad prædictum onus habitandi in Statu Ecclesiastico eisdem Principibus maioris potentiae, suisque praedictis, ac alijs Principibus, qui forsan prætententes esse Principes maioris potentiae propter insignes Iurisdictiones, quas habuerunt, & habent, vel in posterum habebunt, in suis ditionibus, extra prædictum Statum Ecclesiasticum consistentibus, non tamen eidem Statui Ecclesiastico contiguis, seu conterminis, residentiam continuam sibi constituerunt, vel in futurum constituent, ac etiam exceptis illis, qui, seu quorum maiores prius in exteris ditionibus, quam in Statu Ecclesiastico habuerunt, & habent, vel habebunt possessionem actualem Iurisdictionalium. Utterius volumus, quod, exceptis praedictis, reliqui omnes & singuli, etiam indulta, & licentias huiusmodi habentes, & Iurisdictionalia praedicta Sedi Apostolica, seu Ecclesiarum inferiorum, in eodem Statu Ecclesiastico sita, nunc, & pro tempore possidentes, vel illa, iubiliter in eodem Statu Ecclesiastico consistentia, præcedente, tamen licentia Apostolica ementes, etiam sub hasta, aut alias quouis titulo, etiam dötis acquirentes, eorumque heredes, & successores teneantur venire ad habitandum verè, & personaliter cum eorum familijs, & latibus in eodem Statu Ecclesiastico infra annum proximum, à die datae præsentium, & respectiuè à die acquisitionis, seu adeptæ possessionis ipsorum Iurisdictionalium, decurrentum, inde non recessuri, vel infra eundem annum eadem Iurisdictionalia præcedente prefata licentia Apostolica in alium, vel alios subditos, & habitatores transferre, alias in eu-

tum



tum contraventionis; seu inobedientiae, in eisdem pœnas, etiam priuationis, & confiscationis eorundem Iurisdictionalium, eo ipso pariter ad favorem Camere Apostolicæ, & respectiuè Ecclesiarum inferiorum præfatarum, incident. Forenes vero, sive Exteros ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictatum, illos in posterum non esse, nec fore declaramus, qui Nobis, ac dictæ Sedis ratione temporalis Iurisdictionis Status nostri Ecclesiastici subditi, & suppositi sint, vel qui domicilium in eo legitimè contraxerint, quod domicilium requiratur etiam quoad possidentes in eodem Statu Ecclesiastico aliquam Iurisdictionem, vel qui in prædicto Statu Ecclesiastico, etiam Auenionensi, Bononiensi, et Beneuentano, et intra eius limites, non tamen in locis eorundem Principum maioris potentia, vel suorum prædictorum, nati sint. Qui autem nunc, et pro tempore sint, vel fuerint Principes maioris potentia, etiam si ipsi à ritualibus, et diarijs Sedis Apostolicæ indicentur, declarationem tamen illorum ad effectum præsentis, aliarumque Constitutionum prædictarum, Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus nostris resequamus, prout etiam reseruamus declarationem Iurisdictionem insignium, in quibus fuerit haec tenus constituta, vel in posterum constitutæ per Principes habitatione prædicta. Presentes quoque literas, omniaque, et singula in eis contentas, etiam ex eo, quod quicunque ipsi præmissi, seu eorum aliquo interesse habentes, seu habeat quomodolibet plenarientes, ad ea minime vocati, et auditi, minusque cause, propter quas cedem presentes emularint, iustificare fuerint, nullo virginali tempore de subreptionis, vel otreptionis, seu nullitatis, aut inuiditatis vicio, seu intentionis nostre, aut alio quouis defectu hotari, impugnari, inuiditatis reflectari, in his, vel controversiam resarciri posse, ac per omnes, et singulos, ad quos spectat, et quomodolibet spectabilis in futurum inuiditabiliter obseruari, siveque, et non aliter. In præmissis omnibus, et singulis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, et Clericos Camere Apostolicæ Presidents, Cardinalem Camera-rium, et quoscumque alios, etiam Sancte Romane Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, ac Nuncios, & alios quavis potestate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alterius iudicandi, & interpretandi facultate, iudicari, & diffiniri debere,



bere, irritum quoque, & inane, si secus super his à quoquam  
quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attētari, de-  
cēdimus. Non obstantibus p̄missis necnon p̄dictis, alijsque  
Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac etiam Can-  
cellariæ nostræ regulis, etiam illa de non tollendo iure quæsito,  
ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmi-  
tate alia roboretis statutis, & consuetudinibus, etiam immemo-  
rabilibus, privilegijs quoque, & indultis, ac litteris Apostolicis,  
quibusuis sub quibuscumque tenoribus, ac formis, & cum qui-  
busuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficaciori-  
bus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in ge-  
nere, vel in specie, etiam motu, scientia, deliberatione, & pot-  
estatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias in con-  
trarium p̄missorum quomodolibet concessis, confirmatis, &  
innouatis, ac etiam illis, quæ ijdem Predecessores nostri volue-  
runt, ac Nos etiam voluimus in p̄dictis Constitutionibus non  
obstare, illorum omnium, & singulorum tenores, etiam am-  
pliores p̄sentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de ver-  
bo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore perman-  
suris, ad p̄dictum effectum specialiter, & expresse derogamus,  
ac derogatum esse volumus, ceterisque contrarijs quibuscum-  
que. Et ut ad omnium notitiam p̄sentes, & in eis contenta  
quæcumque deueniant, volumus, quod eadem per aliquem  
seu aliquos ex Cursoribus nostris in valuis Basilicarum Sancti Io-  
annis Lateranensis, & Sancti Petri, ac in acie Campi Floræ affi-  
gantur, & publicentur, quæ sic affixæ, & publicatae omnes, &  
singulos afficiant, & arcent perinde ac si vnicuique eorum per-  
sonaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Pi-  
scatoris die iiij. Nouembris MDCXXXVII. Pontificatus Nostri  
Anno Decimoquinto.

**M.A. Maraldus.**



R. 93976